


Johann Festing

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Festingius, Ad
funus indictivum ... Elisabethae Stephani, Viri ... Dn. Henrici Rahnii ICTi ... Relictae
Viduae ... supremum exequiarum honorem Omnes Omnium Ordinum Cives
Academicos ... invitat**


Rostochi[i]: Wepplingius, 1690


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774670576>

Druck Freier  Zugang



Festing, J.
in El. Stephan.
vid. H. Rahne.
Rostock, 1690.





155.
154.

PROGRAMMA
QVO
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JOHANNES
STINGIUS



Ad funus indictivum

Matronæ Nobiliss. omnibusq; sexus sui virtutibus conspicuiss.

ELISABETHÆ
STEPHANI,

Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi

DN. HENRICI RAHNII

JCti celebratissimi, Antecessoris in hac Academia &
Consistorii Ducalis Assess. quondam graviss. meritissimiq;

RELICTÆ VIDUÆ

Placida beatissimaq; morte nuper die 14. Sept.
ad cœlestia evocata,

Per solvendumq; sic matronæ laudatissimæ
supremum exequiarum honorem

*Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos
humanissime invitat.*



Rostochi Typis JOHANNIS WEPPLINGII,

Academ. Typograph. 1690

1. f.

PROGRAMMA
 OVO
 RECTOR
 UNIVERSITATIS ROSTOCKENSIS
 JOHANNES
 STINGIUS
 Ad iudicium
 ELISABETHAE
 STEPHANI
 DR. HENRICI RANHNI
 Confessio, sicuti in Academia &
 Consilio, sicuti in Consilio
 FELICIA VIDUA
 Nach dem Tode ihres Mannes die 14. Sept.
 1627.
 In Rostock.
 Gedruckt bey dem Buchhändler
 Johann Oleario, in der
 Rostocker Oleari-Druckerei
 1627.



Ristis videtur homi-

num conditio, quorum ortus in lacrymis tantos praefigit miseriarum cumulos: Nec nisi transacta vita & in fine demum absque metu humanaeque; sortis imbecillitate & ærumnis initium quietis capiendum est. Abiecta certe infantis natura est, ubi solo vagitu strepitu fasciisque involutus vix blandæ matris arridet cantionibus nec fer-

mè ultra animalitatem (quomodo inter Philosophos dicitur) agere videtur. Et quid tum? Scilicet cum paullulum crevit ætas, sine cura fruitur voluptate, dum benigna mater

Munera fert illi conchas teretesque lapillos,

Et parvas volucres & flores mille colorum.

Hac fruuntur voluptate: sed tam exigua & brevi ultra paucos annos haud duraturâ: Imò nec omnibus frui licuit, cum tristem simulac nati lucem aspicere coacti sunt, ubi aut hi parentibus aut parentes opibus orbi in ipsis humani desiderii initiis votis nequiverunt satisfacere. Et certè si progrediamur consideraturi pueritiæ fortunas, mala hominum natura in ipsa bonitatis præceptione, in educatione proba, teneros angit animos, inviti agunt, & ludus non ludus est. Omnia vanitatum plena sunt, & tristis necessitatis vituperio fermè accusatur ipsa bonitas. At tandem cum imbuti homines virtutum & sapientiæ præceptis, quid lætum sperandum erit? Eheu! quantum virgultis & dumetis impedita, aspera, & malorum rupibus prærupta via est! Quam pauci recto pede ambulant, & verum sapientiæ suspectant domicilium! Durum hodie frequensque bonitatis periculum est, ubi virtus laudatur & alget: imò vix laudatur, sed in malis moribus encomia facta sunt. Hinc ipsi qui emergunt tanquam ex naufragio, cum madidas suspendunt vestes & Solis optant calores benignissimos, quid non

non asperitatis suâ in fortè deploraturi sunt, cum hodie in Phi-
 losophia paupertatem, & in paupertate contemptum plenamq;
 contemplantur miseriam? Qvis hodie studia sapientum fa-
 vor recreat? Rara sunt felicitatum exempla, quæ siquidem fue-
 rint, ipsa tamen miseriarum conteguntur frequentia. Imò jani-
 toribus Sejani innotescere hodiernum pro magnifico accipien-
 dum est. Sed magnis hodie & sollicitis qui innotuerunt arti-
 bus, si rempublicam in partibus iis credendam gubernare jube-
 antur; ea tamen difficultatum pondera prospiciunt, humerosq;
 his ferendis contra invidiam, æmulationem, calumnias, & in-
 fidias collegarum præparare necesse est, ut extra aulam & curi-
 am extendere non nisi lassas modò vires queant & deficient pri-
 usquam virtus cœperit inclarescere. Ita certè in sapientiæ
 studiis impedimenta ingruunt, & honesti sapius propositi me-
 tam nedum conspectam ab oculis mali mores remouent. Nec
 alia aut melior eorum conditio est qui subsidiis parandis stu-
 dent, quibus student omnes quos necessitatum humanarum
 aut memoria aut durities ipsa admonet. O tempora! O
 mores! Nil in orbe cernitur nisi calamitas, in bellis furor,
 in furore vastitas. Omnia in deteriora flexa sunt! Currit
 mercator; sed in via capitur: Arat agricola; sed in sulcis occi-
 ditur. Evanuerunt venæ metallorum, terræq; facies sine frondi-
 bus ac fructibus arborum rurumq; nec non civitatum loca sine
 ædificiis, incolis, mercimoniis, nostrarum miseriarum testi-
 monia sunt. Equidem quæ prima religionis cura, prima er-
 ga Deum pietas esse debuerat, postrema: & quid postremam
 dico? nulla est. Hominum cura superbia est, & voluptatis
 principium legibus solutos esse. Hæc causa, hæc inquam sola
 causa est, quòd beneficiorum divinorum nullus adeò proventus,
 fortuitusquè, si quis accidit, accrescentis boni casus sit. Sic ergò
 egestatis fors communior humanæ vitæ in subsidiis parcè pro-
 spicit. Inde autem quænam non cura patrifamilias, ubi diffi-
 culter quærit opes & partas difficillimè tuetur? Hic sexui non
 minùs fœminino quàm masculino vitæ hujus sollicitudines
 ærumnasq; rei familiaris calamitas explicat, ubi socia domûs in
 consortium ægritudinis advocatur suorum, onerum bene

conscia. Certè hujus sexus facilè miserias agnoscimus dum
consideramus

agros in pondere menses.

Quid autem ceteris in rebus foeminarum promittit vita omnis?
Ecce ad culinas, lanam & colum damnatae sunt, quibus malis cum
mederi velint, quas non vanitates conspiciamus, ubi velut Ba-
bylonica atq; Memphitarum picta texta modestos superioris
nostri temporis colores exceperunt, & plusquam Asiatica Per-
gami Regis, sed sine divitiis, ad nostras oras accessit Galliarum
luxuria? Legitur Martialis illud lib. 2. epigr. in Nævolum:

*Florida per varios ut pingitur Hybla colores,
Cum brebe Sicania ver populantur apes:
Sic tua suppositis perlucet praela lacernis:
Sic micat innumeris arcula syntbesibus.*

Idem hodiè in templis non minus ipsis observare est, ubi in
verbis Papinii Statii dicendum erat:

Modo puniceo velabat amictu

*Nunc herbas imitante sinu, nunc dulcè rubenti
Murice, nunc vivis digitos accendere gemmis.*

Adeò versicoloribus tincturis oculos trahere student, quæ
Speclatum veniunt, veniunt spectentur ut ipse.

Imò Communis error tale jus fecit etiã inter optimas ut Audito-
ria Dei coloribus theatralibus compleantur, ubi abs Sacerdotum,
Seniorum, omniumq; familiis peccatum est. Sed quamvis his, si
non statim, tractu tamen temporis, mederi alloboraturi sint bo-
ni: in eo tamen miseram ingenii muliebris miramur conditio-
nem, cum hæc vita plurimum non nisi figurarum imitationibus
impenditur & cogitationes fermè hæc sunt:

*Attalicas supera vestes, atq; omnia magnis
Gemmae sint ludis.*

Quæso, ecquæ alia magis quotidiana harum instrumenta sunt quàm
calamistri, volsellæ? Eheul fucos & pigmenta quærere, ora purpu-
rizzo & cerissa pingere, labores, studia sunt. Ut taceam, quantis stu-
diis libidinum venena sibi colligant ex amorum libris, ubi opini-
one elegantiarum non nisi vanæ loquacitatis incrementum
hauri-

hauriunt: in eo certe infra humanitatem despicienda vitia sunt, ubi infractiorem illum femellarum & delicatorem modulatumque gressum conspiciamus, ubi contra Hieronymi monitum, quod dedit ad Eustochium devirginitate, delumbem patronarum salivam delicatæ sectantur, quæ nunc labiis dissolutis balbutientem linguam in dimidiata verba moderantur, rusticum putantes omne quod nascitur. Omnia hodie ad Gallicos mores composita sunt, quibuscum igitur taxilli placent, & deambulationes, nec non libertas oris, & multus risus inter viros, & quid non? Quocirca in mentem venit quod in Satyrâ Juvenalis de foeminis Græcitatem affectantibus legitur, cujus in verbis nostratium mores arguendi erant:

*Nam quid rancidius, quàm quod se non putat ulla
Formosam, nisi qua de Tusca Græcula facta est:
De Sulmonensi mera Cecropis? omnia Græcè,
Hoc sermone parent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta. Quid ultra?
Concumbunt Græcè.*

Apagel malos hodie mores ipsorum etiam parentum auctoritate filiarum induunt, ubi gravitas pudicitiae adjutrix & focia abjicitur, nec non per ornatum libidinis invitatores conscientia læditur. Si vir enim vel mulier, inquit Hieronymus, se ornaverit & vultus hominum ad se provocaverit, etsi nullum inde sequatur damnum, judicium patietur æternum, quia venenum attulit, si fuisset, qui biberet. Nec alium in finem perit vir simul in tua forma, ait Tertullianus, o mulier, si concupiverit & admisit jam in animo quod concupivit, & facta es gladius illi. Eheu! qualis hæc vita est, quæ debebat esse transitus ad æternitatem! Siccine ad astra eundum est? Merito cogitandum, quod nec alius sit melior ornatus (sicut est in sententia Clementis Alexandrini) descendens per meatus qui sunt secundum naturam, quam vera catechesis, hoc est, quæ per auditum suscipitur institutio: oculi autem verbo inuncti, & aures ad sensum perforatæ, divinarum rerum auditorem & sanctarum rerum contemplatorem efficiunt, verbo verè veram ostendente pulcritudinem, quam oculus non vidit, nec auris prius audivit. Quocum Clementis, illa servanda

est admonitio Tertulliani, ut prodeant jam medicamentis & ornamentis exstructæ, Apostolorū sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundiâ & spiritus taciturnitate, inferentes in aures sermones Dei, annectentes cervicibus jugum Christi: vestiantur serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitia. Quid igitur non nocent ornamenta mundana, cum in mundo, hoc est, vero ornatu deficient nullæq; gaudeant priusquam perfectè obdormiscendum sit? Quæ non erunt spei retinacula ornamenta terrena, cum cælestia optanda sunt? Nec tamen pudet miseris, quod iterum ait *Clemens Alexandrinus*, totum suum studium in ostreo ponere, cum eis liceat sancta ornari gemma, nempe verbo Dei quod utique Scriptura appellavit Margaritem, pellicidum & purum Jesum, qui est in carne contemplator oculus, qui est ratio perspicua, per quem caro est pretiosa quæ aqua regeneratur. Equidē non juvat, sed pudor est, scenicas imitari, quibus probrū ac dedecus est erubescere. Quin potius virginum & matronale oportebat esse studium, per honestate & temperantiam placere, domi ut plurimum (sicut Greg. Nazianz. admonet) manere, colloquia cum divinis oraculis habere, fuso ac lanæ operam dare, ancillis operam mandare, labiis, oculis, genis vinculum injicere, pedem limine non admodum frequenter efferre. O miseram hanc vitam, quæ tot vanitatibus, insidiis mundi, ac malis obnoxia est! O durum infernalis pernicii periculum! Hic autem ad lapidem offensionis eheu! quantopere omnes offendimus! Consideremus nostras virgines, homines! Quo vergunt cogitationes? quis in cælo has suas cum divinitate in fide & amore conjunctas habet? Quis est, cui Deus sit omnia in omnibus? Proh dolor! invidia nos tangit, elatio nos extollit, ira nos perturbat, luxuria nos tentat, gula nos surget, ambitio nos torquet, omne vitium apparet, regnat discordia, per singulas discurrit mansiones superbia. Fædæ sunt in his cœnis cogitationes nostræ, quibuscum jungere divinitatis puritatem non licet. O tristis vita, in quâ tot nobis & quotidiana vitiorum incrementa obveniunt! In ipsis etiam virtutum præceptis cum refrænamus carnem spiritui adversam, tam cito, ubi

bi continentia à nobis exempla præstanda sunt, laxamus frangimus, & affectibus indulgendo ipsi ad doctrinæ normam quotidianè erubescere, accusare hujus vitæ pravitates, & tristari in continuis poenitendi exercitiis compellimur. Ita demum homines ad senectutem progrediuntur, quæ ipse morbus est, cujus in adversitatibus, ærumnis, ac molestis potissima ratio, ut cœlum meditemur. Imò si cogitemus statum animarum post mortem, ut in manu Domini quiescant, & domicilio fruantur ubi in ore habitantium semper laus, Alleluja, gloria, pax, benedictio, honor, virtus, & fortitudo: quid hoc rei est, quòd hanc vitam tantopere amemus & temporalia amplectamur ad cœlestia meliora destinati? Potius omnis festinatio exoptanda erat nostrumq; singulorum votum optimum: Surge anima mea, curre & festina intrare ad tales nuptias, versa & commuta desideria tua. Tali voto surrexit vigilantissimè Beata nostra Matrona Nobilissima *Elisabetta Stephani*. Hæc meliori & modestiori tempore ex optimis parentibus nata, felicitate quadam eximia, vanitates non experta est, quo dèq; malis in humanis spargitur venenum, eibonis in præceptis parentum & educatione proba contingendi vis omnis adempta fuit. Pater fuit Vir Magnificus Nobilissim⁹ Ampliss. Consultiss. atq; Excellentissimus *Dn. Laurentius Stephani*, Jctus celeberrimus, Sereniss. Duc. Meclenb. Consiliarius & Cancellariæ Director, Antecessor in hac Academiâ nec non Consistorii Ducalis Adessor gravissimus, postea supremi Dicasterii Magap, quot tunc temporis Sternbergæ erat, Vice-Præses splendidissimus. Mater fuit Nobilissima ac sexus sui virtutibus maxime conspicua *Anna Corbmannia*, Matrona, cujus in aspectu filiola poterat virtutum sibi legere signa apertissima, in sermonibus audire optima præcepta, in vita omni discere tanta probæ Matris familias exempla. Sed ulterius etiam prospiciebat Hæc nostra in Majorum exemplis bonitatum semina, quæ excrecere oportebat in progenie optima. Adeò Avum paternum habuit Virum Nobilissimum Ampliss. Consultiss. atque Excellentissimum *Dn. Joachimum Stephani* Jctum. Serniss. Ducis Pomeraniæ Consiliar. Consistorii

istorii Pomerani. Directorem & in Acad. Gryphiswaldensi
Professorem Juris celebratissimum: cum eoque Aviam No-
biliss. ac præstantissimam *Barbaram Riboviam* Viri Prudentissimi
& Præstantissimi *Dn. Laurentii Ribovii* Senatoris Gryphiswald.
filiam. Et quibus non encomiis excipiendus est Avus ma-
ternus decus nostræ Megapoleos & Academiæ? Is fuit Mag-
nificus & celeberrimus *Dn. Ernestus Cohnannus* Sereniss. Ducis
Mecklenb. Cancellarius & in hac Acad. Antecessor consum-
matissimus. Avia quoque materna fuit ex generoso sangui-
ne orta laudatissimaque *Elisaberba Heinia* Viri Nobiliss. Ampliss.
Consultiss. atque Excellentissimi *Dn. FridERICI Heinii* Jcti, Con-
siliarii Ducalis ac Antecessoris celebratissimi dein Consulis ac
Syndici hujus Reipubl. Rostoch. meritissimi filia. Sic brevi-
ter saltem Majorum meminisse, suffecturum videbatur, quo-
rum in vitis luculentissimarum virtutum plenis, ad similitudi-
nem modestiæ & pietatis, non ad hodiernam mundi superbiam,
admonita hæc matrona nostra optima ac pia, suis ipsa in mori-
bus exemplar dedit liberis ac heredibus ut noluerint memoran-
do quasi laudes sibi adaugere ex ulteriorum Majorum fulgidissi-
morum splendoribus; sed felicitatis tamen humanæ & gratiæ di-
vinæ præconium crediderunt Matrem habuisse ab initiis ortus
sui felicem virtutumque præceptionibus imbutam prosperrimè.
Hæc nata A. 1620. d. 26. Mart. circa horâ 5. pomeridianâ, mox sacro
foedere Baptismi juncta Salvatori suo, beatæ pietatis exercitiis
non mundi istis vanitatibus imbuta, talis educata fuit, ex quâ, sicut
ait Isidorus Pelusiotæ ad Hieracem Diaconum, animi ornatus,
qui è virtute nascitur & convictus desiderium in laudatissimis,
quibus juncta fuit, animis excitavit, ac mutæ fuit benevolen-
tiæ philtum: imò talis educata fuit, ex qua pietatem sectari
& odisse ineptias hujus seculi didicisse potuerunt posterî, nec
minùs alii agnovisse has mortalitati esse voluntarias. Adeo hæc
bene nobis exposuit illud quod habetur apud Clementem Alex-
andrinum: *Est femina propter imbecillitatem longè plura concu-
piscat, id mala educationis consuetudini tribuendum est, per quam
sepe numero viri in malis vitæ institutis educati, evaserunt mu-
lieribus magis effeminati.* Sic igitur in parentum pietate perque

scm.

temporum meliores mores feliciori sorte gavisa est beata hæc Matrona, quæ felicissimo conjugio primum *An. 1639. d. 23 Octobr.* juncta fuit Viro Nobilissimo Ampliff. Consultissimo atque Excellentiff. *Laurentio Marquardo* J. U. D. & Reverendiff. Archiepif. Bremensis Consiliario fulgidissimo; quo mortuo secundis nuptiis maritum magna autoritate & splendore munerum ac eruditionis gloria eminentem nacta est Virum Nobiliff. Ampliff. Consultiff. & Excellentiff. *Dn. Henricum Rahnum*, Jct. & Antecessorem hujus Academiæ nec non Consistorii Ducalis Adfessorem gravissimum. In his conjugiiis felicissimis liberos produxit voti maritalis arque matrimonialis fructus præstantissimos, quorum primam habuit ex Marquardo Florentissimo filiam *Elisabetham* quæ A. 1655. vita functa est. postea Rahnum suum, connubio juncta stabiliori, quocum plures meritis pro talibus virtutum annos exegit, pulchra parentem non una prole fecit. Filiis gavisa est *Laurentio, Christophoro & Jacobino*, nec non filiabus *Anna, Barbara & Elisabetha*. *Laurentium* J. U. Doctorandus dignissimus A. 1682. ad superna per beatam mortem evocatus est, & dudum A. 1656. mortua *Barbara*. Sed *Anna* in matrimonium data fuit Viro Nobilissimo Ampliff. Consultiff, atque Excellentiff. *Dn. Christiano Beselino* t. t. J. U. Doctori celebratissimo, postea supremi Dicastrii Melenb. quod hodie Parchimi est, Adfessori, & nunc Serenissimi Ducis Suerino-Megapol. Consiliario Camerae gravissimo, fautori & amico nostro honoratissimo. Ex quo conjugio quatuor nuptum, uniusq; nepotis Avia facta est. Hanc tamen amisit Filiam dilectissimam A. 1684. nihilominus in tanto suo genero sibi retinens tantum solatium tantumque decus familiæ & dulce præsidium. Relictos habuit, dum moreretur, filios in vivis, *Dn. Christophorum* J. U. Candidatum multis nobis virtutibus commendatissimum, nec non felicissimi conjugii fœdere cum generosi ac præstrenui Chiliarchæ *Dn. Johannis ab Engeln* filia florentissima *Maria Dorothea* junctum *Joachimum*, Dominum hæreditarium in Poduall. Quâ ratione in hujus etiam fœcundo conjugio Avia nomen plurimum nepotum numero auctum ac quatuor nuptum ad huc viventium salutationibus honoratum fuit

fuit. Filia quoque nati minor *Elisabetta* hodie luget matris
obitum, quæ adhuc parante matre optima marito viro No-
bilissimo *Dn. Henrico Gotello* J. U. Licentiatò pacta est, ex quo
conjugio duæ neptes gremio federunt Avia sarcina gratissima.
Tali fecunditate auxit Beata nostra cœlorum regna, quæ præ-
misit alios, alios in æternitate desideris suis post se exspecta-
tura est. Interim sic demum laudatissimo in exemplo percipi-
mus, quomodo hujus vitæ lucem uberiorem ac longiorem quæ-
mus exoptare, cujus ratio aliâ non est quàm eadem præcepta
eodemq; mores, quos abs Majoribus accepimus bonos quosq;,
ad nepotes posterosq; transmittere, ubi sanè cum ceteras pri-
mis illis suæ ætatis annis molestias & tristitias bene supergressa
hæc nostra, non immeritò felicissima prædicanda est. In ceteris
verò aliquantum videbatur considerandum quòd in dubium
vocari poterat an ex longævitate deprædicandum bonum sit?
Sic enim dura viduitate inde ab Ao. 1662. nec non deinde sene-
ctutis morbo pressa fuit non imprudens sed cœlorum memor
& officii conscia. Quocirca sicut naturalem vitæ amorem
animadvertimus propter innatam propagationis regulam, ita
præconceptis in hac naturalitate opinionibus plurimum indul-
tum esse non immeritò profitemur, ut citra immodestiam ta-
citis votis & precibus etiam pro bona nostrorum liberorum
educatione vitam exoptare longiorem, mortisq; horrorem a-
gnosceret quisquam prohibendus non est. Verè ergo Beata præ-
dicanda Nobilissima RAHNIA quæ satis bene vixit, satis bene
mortua est, virtutum matronalium memor familiæ negotiis
ad necessitatem operans eò plus negotii sibi in gloria Dei ma-
gnificanda sumsit quò plus otii abs gravioribus negotiis huic se-
xui datum est, omniaq; sua facta mori us antiquis hoc est opti-
mis composuit. Nobis verò inter hæc Cives Academiæ carissimi!
officii potissima incumbet ratio, ut illi corpori ex animi, cui non
honores inanes quæsitum sunt, quodq; non luxu depravatum sed
abs vanitatibus mundatis magis quàm mos est custoditum fuit,
supremos nunc honores in exequiis eundis pervolvamus
uberrimos. Ad hoc officium, quod ultimum dicitur, quàm
humanissime invito, insimulq; illud mecum Cæsii emblemata
ut

ut conspiciatis moneo quod aruca noviter prodeunte propo-
nitur cum inscriptione; *Ecce nova omnia.*

Truncus iners Aruca fuit nunc alba volucris

Ambrosium cali carpere gaudet iter:

Antea vermis erat, mutatio quanta, videtis;

Corporis antiqui portio nulla manet:

Vestis, opes, habitus, convivia, fœdera, mores,


Lingua, sodalitiū, gaudia, luctus, amor,


Omnia sunt mutanda viris, quibus enibeus ardor;

Terrena decet hos facis habere nihil.

*PP. Rostochii Sub Sigillo Rectoratus d. 23. Septembr.
A. 1690. Conventus fuit in Templo Mariano hor. I.*







conscia. Certè hujus sexus facilè miserias
consideramus

agros in pondere menses.

Quid autem ceteris in rebus fœminarum pro
Ecce ad culinas, lanam & colum damnatæ sunt, q
mederi velint, qvas non vanitates conspicim
bylonica atq; Memphitarum picta texta mod
nostri temporis colores exceperunt, & plusqu
gami Regis, sed sine divitiis, ad nostras oras ac
luxuria? Legitur Martialis illud lib. 2. epigr. in

Florida per varios ut pingitur Hybla

Cum breve Sicania ver populantur

Sic tua suppositis perlucet prala la

Sic micat innumeris arcula syntb

Idem hodiè in templis non minus ipsis obser
verbis Papinii Statii dicendum erat:

Modo puniceo velabat amictu

Nunc herbas imitante sinu, nunc du

Murice, nunc vivis digitos accende

Adeò versicoloribus tincturis oculos trahere

Spectatum veniunt, veniunt specten

Imò Communis error tale jus fecit etiã inter op
ria Dei colorib; theatralibus compleantur, ubia
Seniorum, omniumq; familiis peccatum est. Se
non statim, tractu tamen temporis, mederi allo
ni: in eo tamen miseram ingenii muliebris mi
nem, cum hæc vita plurimum non nisi figuraru
impeditur & cogitationes fermè hæc sunt:

Attalicas supera vestes, atq; omnia

Gemmea sint ludis.

Quæso, ecquæ alia magis quotidiana harū instr
calamistri, volsellæ? Eheul fucos & pigmenta qu
risso & cerissa pingere, labores, studia sunt. Ut tac
diis libidinum venena sibi colligant ex amorum
one elegantiarum non nisi vanæ loquacitat

